



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

6. Neronvm Qvo Sita Maioris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

supra *Neuhusium Paderam*, *Alisonem* infra alueo accepit, & multa insignia castra, oppida alluit, juxta *Vesaliam* in Rhenum evolvitur. Falluntur ergò, qui in eandem cum *Amisiâ* & *Visurgi* partem ferri, & Oceanum subire existimârunt. Hos sequi videtur *Bartolinus*. l. 4. Austr. ut *Spidelius* notavit.

*Nunc verò Oceani populos, atque extrema mundi  
Regna sequar.*

*Hic fluit & Lupia turgescens sanguine ripa.*

Errori huic immani & manifesto ansam præbuit *Strabo* lib. 7. In eandem cum *Amisiâ* partem feruntur *Visurgis* & *Lupia* amnis, distans à *Rheno* 1000 stadijs, sive millibus passuum LXXXV; fluens per *Bructeros* minores. Melius *Lupia* ostium agnovit *Mela*. lib. 3. c. 3. *Amnium* in alias gentes exeuntium *Danubius* & *Rhodanus*, in *Rhenum* *Mænus* & *Lupia*. Excusat tamen *Strabonem* *Junius*, quasi ἐπι ταῦτα (videlicet ἐθνη quòd præcessit) id est ad has nationes decurrere *Luppiam* tradiderit. *Isac. Pont.* lib. 1. *Orig. Franc.* c. 9.

5. NOMENQVE DEDIT. *Lippsringa* arcis, sub quâ *Luppia* fontes conspiciuntur, oppidòque, diu post conditam arcem, in oppidum evecto: nam sub initium sæculi decimi quinti incolæ libertate primùm donati vel manumissi. sic quoque in eadem hac diœcesi vicus quidam *Vp-sprunck* vocatur.

6. NERONVM QVO SITA MAIORIS.  
*Horatius* lib. 4. od. 14.

*Major Neronum mox grave prælium  
Commisit, immanèsque Rhætos  
Auspiciis repulit secundis.*

Vterque *Neronum* divisis partibus *Rhætos* *Vindelicos* que vicêre; *Vellejus* lib. 2. c. 5. Cui ergò *Venusina* periphraſis  
conve-

convenit: Tiberio, cui operis adiutor datus fuerat Drusus frater, quem intra Caesaris penates enixa erat Livia. Vell. l. c. ideoque natu minor. Claudius Drusi filius apud Senecam in consolatio ad Polybium. *Caesar (Tiberius) patruus meus Drusum Germanicum patrem meum, minorem natu, quam ipse erat, fratrem intima Germania recludentem, & gentes ferocissimas Romano subijcientem imperio, in complexu & osculis suis amisit.*

7. CASTRA FVERE LOCO. Hiberna Vell. lib. 2. c. 105. *Pietas sua Casarem penè obstructis hieme Alpibus, in urbem traxit: ad tutelam imperij eum veris initio reduxit in Germaniam, in cujus mediis finibus ad caput Iuliae (Lupiae) fluminis, hiberna digrediens princeps locaverat.*

8. ET QVEM CONCILIO. Anno 776. vita Caroli M. apud Pithæum. Astronomus, Adelmus Benedictinus, Poëta Anonym. Regin. lib. 2. Chron.

*Ad fontem Lippia veniens, scribit Astronomus, immensam illius perfidi populi multitudinem velut devotam & supplicem, ac quasi erroris sui veniam poscentem invenit. Cui cum & misericorditer ignovisset, & eos, qui se Christianos fieri velle affirmabant, baptizari fecisset, datis & acceptis pro fide servandâ fraudulentis eorum promissionibus, obsidibus quoque, quos imperaverat, receptis, Eresburgo, quod dirutum erat, restaurato, aliòque castello super Lippiam exstructo, & in utroque non modico presidio relicto, ipse in Galliam reversus in villa Haristallo hiemavit. Terruerat enim Saxones Carolus, velut ingens tempestas omnia prosterbens & munitiones irrumpens. Regin. l. c. Vita Caroli. Et perterriti Saxones omnes ad locum, ubi Lippia consurgit, venerunt ex omni parte, & Domino regi Carolo per Vvadium manibus suis reddiderunt patriam, & sponponderunt se esse Christianos, & iterum subditi sunt ditioni domni regis Caroli. Cum An. 780. ad fontem Luppiae*